

## DE OFFICIO CIVILIIUM IUDICUM.

1.45.1

*Imppp. Arcadius Honorius et Theodosius AAA. Curtio pp.*

Honorati, qui lites habere noscuntur, his horis, quibus causarum merita vel fata panduntur, residendi cum iudice non habeant facultatem.

*D. III non. Febr. Romae Basso et Philippo cons.*

[a. 408]

1.45.2

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Anthemio pp.*

Si quis pro publicis functionibus, quae flagitantur, aliquo se defendere temptet munimine, adeat iudicem et promat, quae duxerit adserenda: quem si iudex, quod non arbitramur, minus audire maluerit, ipse quidem administrator triginta librarum auri, apparitio vero eius quinquaginta feriatum dispendio.

*D. XIII k. Aug. Constantinopoli Honorio VIII et Theodosio III AA. cons.*

[a. 409]

## DE OFFICIO IUDICUM MILITARIUM.

1.46.1

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. comitibus et magistratis utriusque militiae.*

Numquam omnino in negotiis privatorum vel tuitio militaris vel exsecutio tribuatur.

*D. prid. id. Febr. Constantinopoli Theodosio A. III ei Abundantio cons.*

[a. 393]

1.46.2

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Monaxio pp.*

Praecipimus, ne quando curiales vel privatae condicionis homines ad militare exhibeantur iudicium vel contra se agentum actiones excipiant vel litigare in eo cogantur, interminationem autem quinquaginta librarum auri adversus comitatum officium proponi decernimus, si quid contra haec aliquando temptaverit.

*D. VI k. Sept. Eudoxiopolis Theodosio A. VII et Palladio cons.*

[a. 416]